

tum scilicet Dominum, possit. Quanti dynastæ mittunt in aulas regum filios suos, ut suis impensis serviant, hoc unum pro mercede et honore reputantes, quod eorum filii servire regi possint? Magna ergo merces nobis esse deberet, quod vel gratis Deum sequi possimus; quia hoc magna gloria est.

V. Præter hæc quæ diximus, habemus nos Christiani aliud præterea et peculiare motivum ad sequendum Christum; quia ipsi hoc promissimus in baptismo, inviolabili sacramento ad hoc obligati. Quid enim est christianismus? Respondeat ad hoc Gregorius Nyssenus, initio operis epist. ad Harmonium dicens: *Christianismus est imitatio divinæ naturæ*, ut cogitationes et actiones nostræ actionibus Dei similes sint: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare*, ait Joannes, ep. I. cap. II. Ita inter alios egit S. Malachias Hiberniæ episcopus; qui, specie pacis sancienda, ad insidias et manifestum necis periculum evocatus a potente principe, suadentibus amicis ne iret, ipse pacis cupidus et mortis non timidus, dixit: *Sinite, fratres, sinite me imitari magistrum meum. Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor*. Refert. S. Bern. in ejus vita. Dicit hoc et sibi quivis Christianus: *Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor*. Certe Josue moriturus vehementer inculcavit Hebræis jusjurandum, quo se Deo obstrinxerant ad serviendum ipsi et non alteri: « Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviat ei. Responderuntque: Testes. » Neque his contentus: « Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini, et tulit lapidem prægrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini, et dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini, qui locutus est vobis, ne forte postea negare velitis et mentire Domino Deo vestro, » Jos. XXIV. Vobis etiam hoc dicitur, o Christiani. Elegistis enim in baptismo Dominum Deum vestrum, ut serviretis ei, et renuntiastis Satanae ac pompæ ejus. Negare non potestis; testes sunt patrini vestri: testes nomina vestra inscripta in album baptizatorum; testis ipse lapis baptisterii, qui, si opus sit, loquetur et proferet testimonium, juxta id Habac. II. *Lapis de pariete clamabit*. Clamabit, inquam, et accusabit vos, si, relicto Deo vestro, adhæseritis creaturis vel diis alienis. Hic ergo sint bajuli vestri, qui vel renuentes etiam et paralyticos portant vos cum Matthæo ad sequendum Christum, etc.

## CONCIO IV.

NON SEDENDUM, SEU HÆRENDUM IN PECCATI TELONIO.

I. Cunctatio pœnitentiæ Deo injuriosa. — II. Peccatori ipsi valde pernicioza. — III. Horrenda prorsus. — IV. Admodum periculosa. — V. Signum est hominis in peccato morituri.

## THEMA.

*Surgens secutus est eum. Matth. IX.*

Divus Hieron. super hodiernum evangelium scribens, refert Porphyrium gentilem et Julianum imper. apostatam insultasse B. Matthæo, quod vel imperite de se mentitus sit, secutum esse mox ad unam vocantis Christi vocem, vel stulte saltem; egerit, dum adeo facile paruit vocanti. Verum ego dico arguendos potius esse impios illos de maxima stultitia, Matthæum vero commendandum de maximasapientia. Quid enim vobis videtur, o insani? Debebatne Matthæus tam esse rusticus et inurbanus, ut non assurgeret transeunti Domino cœli et terræ, quamprimum ab eo vocatus erat? Vultisne ut dominus servum suum expectet? Aut servus non nisi in senecta, cum jam viribus nihil valet, domino suo servire incipiat? Vultisne ut servus mercedem suam minuat, et verbera sibi accumulet? Vultisne ut Matthæus in pestifera sede hæreat, et non quamprimum inde profugiat? Vultisne ut fronte capillata negligat occasionem captandæ salutis suæ, et calvam post arripiat? Vultisne ut insidiantem sibi sicarium sedens expectet, et non potius fuga quam primum sibi consulat? Vos miseri stulti estis, sapientissimus Matthæus; quem qui sequuntur festinando ad pœnitentiam, hi revera sapiunt: desipiunt e contra, qui remoras neclunt; quod hic ostendemus.

I. Remora illa Deo maxime est injuriosa, licet aliquando conversio sequatur: fœcem enim et finem ætatis tuæ illi dare, florem juventutis demoni et mundo vis consecrare. Si quis alteri, etiam parvi conditionis homini, flores offerret, cum jam languent et deflorescent, dum vigent vero ac bene olent, secum retineret; quam gratiam, putatis, ab illo reportaret? Juventus flos et vernans, hæc dum floret, Deo danda; ubi ea defloruit, quid magni Deo damus, si sero convertamur? Anna illa Samuelem filium Deo offerrens: *Ego, inquit, I. Reg. I. commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Deo*, hoc est, utilis et idoneus; non diebus, quibus erit ei inutilis. Similiter si quis alterum invitaret ad vineam suam peracta jam vindemia, quando nonyisi exigui et neglecti aliqui botri

remanserunt, quæ hæc est civitas? Nihil civilius agit cum Deo, qui reliquias ætatis ei donat. Queritur hac de re Deus, Mich. VII. *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, hoc est, post vindemiam, ut habet Chaldæus. Barbari in novo orbe inveniuntur, qui putria veterameata, veluti detritos calceos montibus et viis dedicant, ut prosperum iter obtineant, apud Caussin. I. V. symb. c. XXIII. Quid aliud agunt, qui florentem ac robustam ætatem sibi, Deo inveteratam et detritam offerunt? Egregie S. Basilius, orat. IV. de pœnit. « Quid facis, o homo? inquit, cum multum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis; ubi vero labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cum jam nullus sit usus, sed necessario labant ac torpeant ob longi temporis talem, firmitate ac labore eorum dissoluto. Temperantia in senecta non est temperantia, sed potius incontinentiæ quædam impotentia. Mortuus coronis non ornatur, etc. » Hoc est, quod Ecclesiasticus, c. XVII. docuit: *Confiteberis vivens, vivus, ac sanus confiteberis et laudabis Deum, et glorificaberis*.*

Ad hæc, invisum Deo spectaculum exhibet, qui vel unum diem in peccato hæret. Si quis tibi præforibus tuis erigeret patibulum, et suspenderet in eo maleficum; quanta tibi hæc molestia et ignominia foret? At qui in peccatis pendulus hæret, coram oculis Dei crucem sibi erigit, et in ea pendens manet. Nonne Deut. XXI. præceptum fuit: *Non permanebit cadaver (rei) ligno, sed eadem die sepelietur?* Ubi gl. ait: *Non est de die in diem differenda pœnitentia, sed statim agenda, ut per pœnitentiam fructuosam, ab oculis Dei abscondantur delicta*. Incivilius admodum fuisset Matthæus, si transeunti atque alloquenti se Christo non assurrexisset: multo incivilius est, qui in cathedra pestilentiæ coram Deo sedet, et in cruce pendet. Injuriam fieri sabbato suo, interpretati sunt Judæi, si Christi et latronum corpora in cruce per id temporis remanerent; unde ea deponi curarunt: et non erit injuria, pendere per tot sacratos dies, in cruce peccati, probrosa et maledicta?

II. Ipsi peccatori supra modum pernicioza. Matthæus si Christi vocationem non statim secutus fuisset, sibi vehementer nocuisset. Primo enim, plurimis bonis, veluti Christi exemplis, doctrinis aliisque gratis gratis datis se privasset. Ita et qui in peccatis hæret, tempus perdit, opera sua perdit, prædam aliis eam diripientibus amittit. Nautæ sane, qui commodam navigandi tempestatem, ad divitias parandas nacti sunt, eam mox, arripiunt; et si

qui vectores alibi diutius se detineant, ipsa negligunt: quidni festinemus potius ad opes cælestes comparandas?

Secundo, conversionem suam difficiliorem reddidisset. Venisset uxor, liberi, vicini, et dissuasissent ei sequelam Christi, quibus resistere difficile erat: crevissent deinde divitiæ, et cum illis sitis novarum opum et amor: crevissent habitus et consuetudo lucrandi. Funiculum hunc triplicem quando abrupisset? Hac de causa Christus Matth. IX. discipulo cuidam volenti ipsum sequi prius tamen petenti ut posset sepelire patrem suum, respondit: *Sequere me et dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Ecur hoc? Quia si ad suam rediisset et moram traxisset, difficulter se ab ea expediisset, ob testamenti executionem, convivia, conversationem propinquorum, dissuasiones, patriæ amorem, etc.

Tertio, peccata et iniqua lucra semper auxisset, sicque ex funiculo funem texuisset, et thesaurum iræ sibi comparasset, juxta id ad Rom. II. *Secundum impœnitens cor tuum thesaurizas iram in die iræ*. Quemadmodum enim is, qui ad usuram accepit nummos, dum non reddit auget semper debitum, ut tandem solvere nequeat, et: *Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus*, Psal. CVIII. ita qui in peccati delectatione, quare a dæmone quasi mutuo sub usura accepit, hæret, debitum multiplicat persistendo in peccato. Exemplum est in Davide, a quo delectatio adulteriæ usuram exegit, ut inebriaret Uriam; deinde, ut eundem gladio hostili objiceret, et cum eo multos alios innocentes expediret; ad hæc ut illo ipso uteretur pro ministro et latore iniqui hujus decreti; post ut Joabum ejus executorem iniquum constitueret et peccato suo implicaret; denique, ut eadem admissam fæcio palliaret. Unde Psal. LXVIII. orans lamentatur: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aque usque ad animam meam: infixus sum in limbo profundi, et non est substantia, quasi diceret: Bibi sicut aquam iniquitates, alias et alias, quasi nullo pretio constant, solvendo aliquando; et defixus in meis faucibus, pene demersus sum, ut fundum et finem non inveniam*.

III. Horrenda prorsus est. Ubi enim sedet peccator, dum in telonio peccati sedet? *In mensa demoniorum, et in cathedra pestilentiæ sedet*. Ita enim Psal. I. dicitur: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum (hoc enim grave foret); et in via peccatorum non stetit (hoc adhuc gravius); et in cathedra pestilentiæ non sedit (hoc gravissimum foret)*. S. Eduardus super injusta pecunia a quæstoribus suis collecta vidit sedere et ludere dæmonem, ut in ejus vita. Quis ergo dubitabit

telonio Zacchæi tot sedisse cum eo dæmones, quot injusta vectigalia accepit? Et quis in tali telonio sedere vel ad horam vellet? Quis non metuit habitare in domo peste correpta? Quis non fugit eos, qui cum pestiferis morantur? Lugduni in Gallia, cum non ita pridem pestis grassaretur, et pueri in Arari flumine se lavarent, vestes in cymbam quam ubi viderunt ingredi aliquot pestiferorum, vespilliones, vestibus in cymba deposuerant: quam ubi viderunt in cymba derelictis, velut jam pestiferis, nudi profugerunt domum: quod fide dignissima relatione accepi. Sic et adolescens ille, tentus a satellitibus, qui Christum in monte Oliveti ceperant: *Rejecta sindone, nudus profugit ab eis*, Marci XIV. Atqui peccator in peccato hærens, cum ipsa morte et dæmonibus, hostibus infensissimis sedet, comedit, bibit, dormit: tentus ab iisdem velut a satellitibus divinæ justitiæ, et ad supplicium tractus. Quis hic vel nudus et quam plurimum non aufugiat? Ducitur enim peccator captivus a diabolo, et quo putas, ducitur, nisi ad supplicium æternum, nisi se, magna vi et auxilio divino adjutus, ab iisdem explicet?

IV. Nimum quantum periculosa: quia incertum utrum Deus postero tempore daturus ei sit gratiam, ut surgat a peccati telonio. Commodum transivit Christus Matthæi telonium: quid enim si postea non transisset amplius? Quid si Matthæum ibi præsentem non vidisset? Quid si non vocasset? Quid si Matthæus aliis cogitationibus implicitus, vocanti aures non dedisset? Quid si vivere desiisset? Dolens lamentatur sponsa, Cant. V. *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat*. Idem forte Matthæo contigisset, si non mox pulsanti aperuisset. Omni igitur ex parte pœnitentiæ dilatio plena est periculo. Qui serica filæ bombycum folliculis eruunt, nisi cito eruant, vermis qui intus latet discisso carcere, indutus alas foras evolat, eosque suo labore ac spe colligendi amplius sericum frustratur: ita etiam dum in hac vita sumus, tamquam e serico orbe possumus colligere ingentes cœlestium gratiarum acervos: at nisi id cito fiat, avolat imprimis occasio, quæ post sæpe calva est. Deinde, forte animus noster, quasi scisso corporis folle alas induet, et avolabit in alterum sæculum nosque proventus nostri spe fraudabit. Hinc Psal. LXXXIX. cum dixisset psalmista: *Convertimini, filii hominum*, inter alias causas subjicit hanc: *Quoniam transibimus cito et avolabimus*, ut S. Hieronymus, ep. CLIX. et Victor ex Hebræo legunt. Nemo rem pretiosam committit latori incerto. Quid salute nostra pretiosius? Quid vita nostra fragilitate et incertius? Unde eodem psal. subdicitur

alia causa accelerandæ conversionis nostræ: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, quasi dicat: Vita nostra quasi araneæ tela et textura est: quid autem hac fragilius? Hodie textitur, cras forte scopis aut a vento dejicitur, et pedibus conculcatur. Sic contigit diviti illi cogitanti demoliri horrea sua, et majora facere. In eadem enim nocte audit: *Stulte, hac nocte repentem a te animam tuam*, Luc. XII. sequenti ergo die in sepulcro omnium pedibus calcatus fuit.

V. Signum et omen malum est, hominis scilicet in peccato morituri, ut qui telonio dæmonis velut carceri affixus detinetur ad supplicium. Quid enim indicant catenæ hominis in carcere detenti, nisi mortis supplicium ei pertimescendum? Avis quæ diu eodem loco sedet, jaculis exposita est, et juxta juristarum regulam: *Non censetur hæres qui non festinat adire hæreditatem*. Quare prodit se non esse hæredem cœli, qui moras in eo quærendo trahit. B. Jordanus ord. S. Dominici generalis magister secundus, dicebat de illis, qui diuvalde in peccatis hærent: « Si quispiam hodie, cras et post cras et pluribus diebus ad cœnobium veniens, præ foribus aliquem continuo sedere adolescentem animadverteret, nonne de facili ipsum ordinem ingredi velle putaret? » Olim enim petentibus ingressum religionis, præ foribus monasterii pro experimento diu sedendum erat, decem scilicet aut pluribus diebus, teste Cassiano, lib. IV. de instit. renunt. cap. III. ) *Quomodo igitur non est credibile, quod intrent in infernum, qui tamdiu sedent in porta?* Ita in ejus vita, 13. feb. apud Sur. Leandér Albertus. Accedit insuper testis non spernendus, S. Isidorus, qui ait: *In dies pœnitentiam differre signum manifestum reprobationis est*.

Vicissim quando quis postlapsus statim surgere conatur, bonum est indicium, non moriturum hunc in peccato. *Sacarum equi*, inquit Ælianus, de var. hist. l. XII. c. XXXVIII. *si qui sessorem excusserint, subito consistunt, ut rursus ascendere possit*. Quisquis ita agit, si forte Deum suum a se excussit, mox tamen subsistit, sine eo progredi ac vivere nolens, donec eum rursus in sessorem sui per gratiam acquirat, bene de salute sua speret. « Optime malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus adhibetur, et cito vulnus sanatur, quod diu putrescere non permittitur (inquit Casarius Arelat. hom. XVI.) et ideo, si aliquis ex nobis cujuslibet peccati vulnus acceperit, antequam longa consuetudine putrescat et feteat, omni celeritate ad pœnitentiæ medicamenta confugiat. » Sic egit Matthæus; unde sanitatem integram mox recepit. Matthæum secutus est Prædicans ille Polonus, Romæ anno 1575. repente conversus, post-

quam viginti tribus annis Satanæ minister fuisset; qui a conversione sua intra triduum mortuus, cœlum sibi paravit sub Gregor. XIII. Pp. uti refert Florimundus Raymundus, de origine hæresum, l. IV. c. XIII. in hæc verba. « Anno 1575. qui jubilæus fuit, senex quidam Lutheranae religionis minister, Polonus natione, non tam devotione quam ex curiositate quadam Romanam illam Babylonem, anno isto confusionis (sic jubilæum et Romam appellabat) visendi cum Romam proficisci decrevisset, eodem quo cæteri religionis ergo peregrinantes habitu iter ingressus, et cum iisdem commune, Sanctæ Trinitatis nomine appellatum hospitium ingressus, triduum in eo, ut exacte omnia contempleretur, permansit. Ejus vero societatis curam tum gerebat Ferdinandus Medices, is qui hodie magnus Hetruriæ dux est, qui una cum multis aliis proceribus, hospitem pedes abluere solebat. Inter quos cum minister hic forte esset, tantam in tanta dignitate humilitatem, ut et pontificis in visitandis ecclesiis devotionem et pietatem demiratus, ac tandem loca sacra in quibus sanctorum apostolorum et aliorum sanctorum reliquiæ asservantur, ipse contemplatus, totius denique velut mundi undique ad reddenda Deo vota et fundendas ad ss. apostolorum et martyrum tumbas preces eo concurrentis religione obstupefactus; divino monente spiritu ad pedem altaris genibus innixus oculos aperire cepit, iisque ad cœlum elevatis, quamvis aliud animo volveret, ut qui spectandi causa tantum eo venerat, vehementer ingemiscens, et consilium de vita et religione mutandis amplexus, prope e media turba se proripuit, et ad S. Petri basilicam accurrens, ad pedes pontificis, qui in sacello tum ibi erat, procidit eos iterum atque iterum deosculatus, lacrymis et singultibus interim voce interclusa, ne verbum quidem prolocutus. Pontifex ratus hominem forte esse, qui nefarii facinoris sibi conscius, id aliis audientibus propalare nollet, præsentem aliquanto secedere jussit, ut solum audiret; at ille recuperata voce exclamans: Minime, inquit, pater sancte, sed jube hos manere; quippe peccati mei magnitudo pœnitentiam postulat publicam. Viginti tres jam sunt anni, ex quo Satanæ fui minister: at jam posthac Jesu Christi ejusque Ecclesiæ servus esse cupio; ad quam sanctitatem tuam humillime rogo, ut me admittere et transcribere velit. Tum papa hominem de singulis diligenter interrogatum, ipse quoque illacrymans, impertita benedictione, ad cardinales quosdam remisit: a quibus ille examinatus et absolutus et sacræ eucharistiæ communionem munitus, cum æstu ardentissimo pleraque loca sacra visitasset, non multo

post in morbum incidit, et in xenodochium S. Spiritus delatus, post triduum animam Deo reddidit, unice gaudere se dicens, quod post tot tantaque pericula ad portum salutis tandem appulisset. Ejus audita morte, pontifex apud quem tum erant p. Hieronymus de Marca, et p. Bernardinus de la Poste, Capuccini, sublati in cœlum oculis, in hæc verba cum D. Apostolo prorupit: *Altitudo sapientiæ. Quam multi miseri peccatores vel in monasteria vel in deserta se conterunt, ut peccata sua pœnitentiæ et vitæ austeritate eluant; et hic tantus peccator tribus tantum diebus vera animi contritione peccatorum remissionem et paradysum promeruit!* Videte igitur, auditores, ne multi ab oriente et occidente veniant, et recumbant cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum: filii autem regni (si surgere a telonio et cathedra pestilentiae non festinarint) ejiciantur in tenebras exteriores.

## CONCIO V.

## PRO DIVINIS BENEFICIIS GRATIÆ AGENDÆ.

I. Docet id ipsa rei æquitas — II. Multiplex fructus gratiarum actionis.—III. Gravis culpa ingratiitudinis.

## THEMA.

*Vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Matth. IX.*

In Bœotia juxta Orchomenon duos esse fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert, inde nominibus inventis, scribit Plinius, lib. XXXI. cap. II. Orchomenos sedes est gratiarum. In gratiis autem duo spectabilia sunt: oblivisci, si quid dederis; meminisse, si quid acceperis. Ex utroque hoc gratiarum fonte bibisse videtur S. Matthæus. Beneficium enim vocationis ad apostolatum a Christo accepit, et meminit; nam in grati animi significationem fecit ei convivium magnum in domo sua, ut scribit S. Lucas, c. V. Et tamen hujus convivii, Christo a se exhibiti, oblitus esse videtur dum nihil de se scribit, quasi Christo hoc præstiterit. Præclare ergo docet beneficia data oblivisci, accepta vero grato animo meminisse: jure et apposite *Matthæus* appellatus, hoc est, *donum* ab Hebræo *matthan*, ut Pagninus docet; vel *donatus*, ut Origines, quia enim divinum sane donum a Christo accepit, mox exhiberet. Nemo nostrum est, cui non competat hoc nomen. Quis enim non innumeris donis a Deo affectus est, et adhuc quotodie, imo omnibus horis ac momentis afficitur ac donatur? Nonne igitur

et nos convivium gratiarum instruemus Deo, et quotidie quidem? Ita quidem confido: quod tamen ut exactius præstemus, videamus rationes, quibus ad hoc urgemur.

I. Prima est ipsa rei æquitas, naturæ lumine notans, gratias pro beneficio agendas esse, sicut: *Non referre beneficiis gratiam est turpe, et apud omnes habetur*, ait Seneca, l. III. de benefic. I. Docent enim hanc gratitudinem ipsa vita carentia elementa: «Copiæ aquarum, ait S. Bernard. serm. XIII. in Cant. secretis subterraneisque recessibus incessanter æquora repetunt, ut inde cursus ad visus ususque nostros jugi et infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude et sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Qualiter, inquis? Qualiter dicit apostolus: In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti et Dei sapientiæ deputa, Christo.» Idem quoque terribiliter docet: «Spontaneos fructus, inquit Sanctus Ambrosius, l. de offic. cap. XXXI. ministrat, quos non severit; multiplicatum quoque reddit, quod acceperit. Negare tibi pecuniam numeratam non fecit: quomodo licet acceptam non referre gratiam?» et paulo superius: «Imitanda nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatori solet numero reddere, quam acceperit.» Sic ille. Aer quoque vapores et exhalationes tenues, quas e terra rursus trahit, multiplici fenore aberrimarum pluviarum refundit. Solus ignis devorat accepta, et nihil redonat; ideoque, ut Rupertus, l. I. de Gen. cap. VIII. advertit, in creatione mundi siletur et præteritur, quasi ingratiæ typus. Quod tamen ignis natura non docet, compensare voluit Deus, dum ejus jugem conservationem in v. t. præcepit, ut docet Philo, l. I. de offerent. victimas. «Quia (inquit) perennes Dei gratiæ neque deficient neque intermittuntur, sed interdum nocturne fruentas se præbent nobis hominibus, gratiarum actionem sacramenta figurat, semper instaurandam, nequando extinguatur.» Sic ille. Sed nos ipsos interrogetur. Quis agros suos agricolæ colendos permittit, et non annum censum ab eo requirit? Quis pennis viatoribus per aliquod flumen struit, et vectigal inde non exigit? Ipsæ urbes transeuntibus quo stratis silicibus pensum imponunt et accipiunt. Quid mirum si et Deus, cujus beneficiis abique et semper fruimur, tributum suum exigat? At hoc aliud non est, quam præcise gratiarum actio. Quare sicut illi, qui telonium solvunt, aut circumeundo subterfugiunt, spo-

liari omnibus suis mercibus merentur et solent; ita qui Deo vectigal gratitudinis pro mercibus e cælo advectis solvere negligit, toto eo, quod accepit, in poenam spoliari meretur. Atque hac de causa putat Ruperitus, l. II. in Gen. c. XXXIX. Adamum ad lapsum fuisse dispositum, ac denique labi permissum, quod acceptis tot beneficiis, in laudes Dei non eruperit statim ac debebat: *Peremptoria enim res est ingratitude*, inquit D. Bernardus, serm. de evang. septem panibus, *hostis gratiæ, inimica salutis. Vias enim obstruit gratiæ, etc.*

II. Multiplex fructus, qui inde ad nos redundat. Nam primo, quo gratiores fuerimus, eo pluribus beneficiis de novo cumulabimur. Hanc enim ob causam beneficia Dei crebro appellantur *retributiones*, quia per gratiarum actionem rursus tribuuntur, uti Psalm. CII. *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus*; et Ps. CXV. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* In quem locum S. Basilus, orat. in martyrem Julittam: «Etenim rursus, ait, magnificus dator haudquaquam dictus est tribuisse, sed retribuuisse, ac si his non cõpisset prior in nos gratiam conferre, sed resolveret acceptam his, qui priores contulissent. Quam enim pro accepta gratia rependis gratiarum actionem, in numerum refert et habet beneficii loco.» Eam reciprocalem Clemens Alexandr. l. I. pædagogici comparat ludo pilæ, qui tamdiu durat, quamdiu pila ab excipiente repercutitur. Quod experta est in primis Eva, mater nostra; quæ ubi Cainam, primum filium peperit, dixit: *Possedi hominem per Deum*, q. d. non natura parvulum mihi dedit, sed divina gratia, ut explicat Chrysostomus. Quare rursus peperit filium alterum, Ablem. Unde ibidem S. Chrysostomus: «Quia pro nato filio grata fuit et prius beneficium agnovit, assecuta est et aliud. Talis enim est Dominus noster, quando imprimis gratitudinem declaramus et benefactorem agnoscimus, largius sua dona nobis erogat.» Experta est et Anna illa, quæ cum pro primo filio Samuele, precibus obtento, gratias egisset et laudem Deo decantasset, post illum quinque alias proles accepit; eum vicissim Phenenna ejus æmula, quia pro filiis suis Deo ingrata fuit, non solum plures non acceperit, sed etiam acceptos amiserit, ut multi cum Hebræorum traditione sentiunt, apud Mendozam, l. Reg. II. § V.

Secundo, grata beneficiorum Dei memoria continet nos in officio, ne Deum offendamus; quod indicat ipse Isa. XLVIII. dicens: *Propter nomen meum longe faciam furorem meum; et laude mea infrenabo te, ne intercas.* Infrenatio, quando laudabis me; quod misericorditer eriperim te a captivitate Babylonica. Qui enim Dei beneficia

tot tamque grata mente recolit, quomodo fieri potest ut offendant benefactorem suum? Communis patrum sententia est, quam tradunt Josephus, lib. I. antiq. D. Cyprianus, lib. de vanit. idol. D. Isidorus, lib. VIII. etymol. et alii, in prima mundi ætate, ab Adamo usque ad diluvium nullam extitisse idololatriam. Cui sententiæ etiam favet Sapiens, Sap. XIV. § XIII. *Neque enim, inquit, erant ab initio idola; et paulo post docet ea a parentibus in gratiam et memoriam defunctorum filiorum primum constructa, atque ita coli cõpta esse. Sed quæ causa ætatem illam ab idololatria immunem conservavit? D. Thomas, II. II. q. XLIX. art. II. ad II. ad hoc respondet: *In prima ætate non fuit idololatria, propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigeat cognitio unius Dei in mente hominum.* Potuit ergo memoria recentis beneficii creationis continere homines ab idololatria, quid non poterit præterea recordatio redemptionis? S. eucharistiæ et aliorum quam plurimorum benefactorum frequens memoria et gratiarum actio? Quid enim si ingrato Deus exprobrat beneficia tam multa et tam magna, quemadmodum exprobravit Sauli per Samuelem, l. Reg. XIV. *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es, unxitque te Dominus in regem super Israel? Quare ergo non audisti vocem Domini? Et Davidi per Nathan, III. Reg. XII. Ego unxi te in regem super Israel, et erui te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui, etc.* Quare ergo contentepisti verbum Domini? Quid respondebit Deo ingratus homo? Magnum igitur peccati frænum est jugis meditatio beneficiorum Dei; quali sane retentus fuit Josephus, ne consensum daret insolenti sollicitationi dominæ suæ: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua; quomodo ergo possum hoc malum facere?* Genes. XXXIX. Dic enim si quis medicus tibi lusco alterum oculum, vel cæco lumen, vel præcisam manum aut pedem restitueret, quantum te ipsi obligatum diceres! Quomodo eum vel uno lædere verbo auderes? *Nam si hæc merita ab homine aliquo in nos collata fuissent*, inquit Chrysostomus, hom. V. in epist. ad Rom. *nonne illi sapientiæ servitutum addixissemus nostram?* At cum nobis jugiter tot tantaque conferat: *Nonne (subdit idem auctor) infinitis suppliciis digni sumus; utpote qui sic tenues et abjecti a tanto tamque mirabili supra omnem modum cum adamemur a Domino, illius erga nos amoris sic illudamus?**

Tertio: *Nihil æque facit in virtute crescere, atque cum Deo assidue versari et colloqui, eique perpetuo gratias agere et psallere*, ait S. Chrysostomus, in Ps. XLIX. Josephum benedicens Jacob dixit:

*Filius accrescens Joseph, filius accrescens*, hoc est, valde accrescens, in virtute æque ac potentia, Gen. XLIX. Sed unde putamus eum sic crevisse? Utique ex jugi recordatione beneficiorum Dei et gratiarum actione: quod hinc colligimus, quia ubi servitute tam perfunctus et extractus est et vinculis, suscepit duos filios, quibus nomina imposuit, quæ ipsum acceptarum a Deo gratiarum immemorem esse non sinerent. Etenim: *Vocavit nomen primogeniti Menasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, Gen. XLI. Eodem medio ad summam perfectionem et cum Deo familiaritatem pervenit Moyses, qui Dei beneficia sibi collata extare in suis filiis voluit, ut in eorum aspectu semper ea relegeret quasi et meminisset. Primum enim vocavit Gensam, h. e. peregrinum illic, dicens: *Advena fui in terra aliena: alterum, Eliezer, h. e. Dei adjutorium, dicens: Deus patris mei, adjutor meus, eripuit me de manu Pharaonis*, Exod. II. § XXII. Et quid mirum? Quis enim non excitetur ad Dei cultum et amorem, virtutumque studium, quando Dei quotidiana beneficia præ oculis semper habet?

Quarto, dæmonem procul arcet. Hinc Luc. VIII. legimus energumenum illum jam liberatum et potentem, ut cum Christo esset, ab eo non admissum; sed hoc remedium accepisse: *Redi in domum tuam, et narra quantum tibi fecit Deus.* Timebat miser, ne iterum a dæmonibus invaderetur et seduceretur. Sed Christus hoc remedium ei præscribit, jugem beneficii acceptam memoriam et laudem: sic eum fore immunem ab infestatione dæmonum, qui Dei laudes ferre nequeunt, sed blasphemare solent; ut ibi advertit Euthymius: «Quemadmodum enim canis, ait D. Chrysostomus, conc. III. de Lazaro, assistens mensæ, si viderit hominem vescentem subinde aliquid eorum quæ in mensa sunt, ipsi projicientem, manet assidue: quod si semel atque iterum sic adstitit, ut discesserit nihil adeptus, protinus abstinet, veluti qui jam frustra et incassum assistat. Itidem et diabolus jugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi ceu cani projiciamus: hoc accepto, rursus aggreditur. Quod si perseveraveris gratias agere, jugulaveris illum fame, celeriterque abigenis et aufugere coegeris.»

III. Tertia est gravis culpa, si Dei beneficiorum memoriam deposuerimus. Quid enim magis contra naturam quam ingratitude? Scimus enim et bruta animalia gratiam referre, aut saltem non nocere suis benefactoribus, tametsi in alios sæva: et barbaros quosque homines beneficiis de-

vinciri. Quare, ut ait Guilielmus Parisiensis, lib. I. de rhet. divina, cap. IV. *Ingratitudo magnum diaboli est miraculum.* Moyses pro miraculo, et quidem magno habuit, rubum ardere et non comburi: *Vadam, inquit, et videbo visionem hanc magnum, quare non comburatur rubus,* Exod. III. At nihilominus mirandum est, hominem tot prunis et flammis divini amoris divinatorumque beneficiorum circumdari atque obrui, nec tamen ardere amore Dei reciproco, imo comburi præ amore; nec resolvi in laudes et gratiarum actiones. Miraculum illud rubi causavit Deus, qui in rubo erat: miraculum hoc ingratitude quis causabit nisi dæmon, qui proinde in ingrato existit? *Magnum ergo diaboli miraculum est ingratitude.* Et certe Christus ipse, qui omnium rerum causas perspiciebat, miratus est velut rem insolitam, Luc. XVII. quod decem quidem leprosos sanasset, ex eis tamen non nisi unus rediret, qui Deo gloriam daret gratiasque ageret: *Nonne decem mundati sunt; et novem ubi sunt?* q. d. ferine potest ut vel unus inter eos sit ingratus? Et sint novem ingrati inter decem? Miraculum est hoc. Et tamen hoc miraculum inter homines valde usitatum est, uti inter alios questus est Fridericus imp. de quo Æneas Sylvius, lib. II. comment. in Panorm. n. XXXV. scribit: « *Audivi Fridericum imp. sæpenumero dicentem, ex iis quos extulisset, quam paucissimos gratos fuisse; idque muneribus suis datum esse, ut ex fidelibus infideles fierent.* » Multo verius et justius queri de hoc Deus potest, quod paucissimos habeat gratos ex iis, quos extulerit et gratis cumularit. Quid vero de his S. Augustinus? *Si non laudaverint servi Domini, inquit in Psal. CDXXXIV. ingrati, irregiosos erunt. Quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum?* Et quid mirum? Cum enim Deus ad bona largienda sit pronissimus, ingratitude, quæ hanc ejus propensionem ligat, non potest ei non esse ingrattissima.

Ingrati ergo ligant Deo manus, quominus in posterum benefacere eis queat; non secus ac improba illa cohors, quæ funibus constrinxit et ligavit Christo in Oliveto manus, quibus ipse prius Malcho, uni ex cohorte, restituerat aurem præcisam. Stulti! Itane vobis consulitis fontem ocludendo, unde paulo ante bibistis? Medicum ligando, a quo sanati et sanandi estis? Quid enim si quis vestrum rursus perdat aurem aliudve membrum? Hæc igitur attendentes viri probi et sapientes nihil magis observarunt, quam ut Deo summo benefactori suo pro singulis beneficiis singulares redderent gratiarum actiones. Ita Jacob excitavit altare, ubi illustrationem aliquam accepit a Deo: Josue notatum voluit esse locum, per quem sicco pede Jordanem transivit, erigendo duodecim lapides: Samuel erexit lapidem adjutorii, quo loco Deus hostes populi Hebræi cœlesti fragore coniecit in fugam, I. Reg. VII. alii pro acceptis divinis muneribus carmina panxerunt et decantarunt; uti filii Israel pro liberatione sua de manu Pharaonis, demersi in mare, Exod. XV. Debhora pro victoria obtenta de Sisara, Judic. V. Ezechias rex pro recuperata valetudine, Isa. XXXVIII. Judith pro extincto et debellato Holoferne, Judith XVI. Anna pro obtento filio Samuele, I. Reg. II. tres pueri pro conservatione sua in fornace, Dan. III. et in novo testamento Zacharias, Simeon et Maria Virgo. Denique, quod Moysi Deus olim præcepit, ut pro accepto manna in gratiarum actionem et memoriam beneficii impletet eo modum unum, seu gomor, et custodiret in futuras retro generationes, Exod. XVI. hoc omnibus nobis mandat, ut nimirum memoriam divinatorum beneficiorum in cor nostrum reponamus. Non permisit Deus, ut reservatum illud manna putresceret aliquando, nec sine miraculo, ut observat ibi Abulensis, quæst. XIV. quo nos moneremur jugiter Deo gratias agere, ne memoria benefactoris nostri Dei in nobis unquam computrescat.

## IN FESTO S. MICHAELIS ET ANGELI CUSTODIS.

EVANGELIUM. MATTH. XVIII.

In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit: qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis: necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: absconde eum, et projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus scandalizat te, erue eum et projice abs te: bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

### CONCIONES.

- I. Angelorum custodia ostenditur.
- II. Beneficia angeli custodis spiritualia.
- III. Beneficia angeli custodis corporalia.
- IV. Angeli custodes quibus maxime benevoli et familiares, quibus infensi sint.
- V. Quid debeamus angelis custodibus.
- VI. Expeditiones S. Michaelis.
- VII. Angelorum perfectio et natura imitanda, ex eorumdem pictura.
- VIII. Parvulorum innocentia statuitur in exemplum Christianis.

- IX. Scandali quanta pernicietas.
- X. Documenta et mysteria.

#### CONCIONES AUCTARII.

- I. Nomine Michaelis terrentur quatuor Luciferi.
- II. Cur angeli juvenili fere specie tantum appareant.
- III. Germani sint Michaelis.
- IV. Astrologia judiciaria reprobatur.
- V. Angelorum lapsus, terribilis eruditio nostra.

### CONCIO I.

#### ANGELORUM CUSTODIA OSTENDITUR.

- I. Ex Scriptura. — II. Ex consensu doctorum. — III. Ex gentilibus. — IV. Rationibus. — V. Ex historiis.

#### THEMA.

*Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.*  
Matth. XVIII.

Mirum valde et dolendum est, quod angeli custodes tam sedulo, tam libenter clientibus suis assistant, in omnibus viis se comites præbeant et innumeris modis serviant, interim vero nihil

aut parum gratiæ ab illis reportent. Quam multi enim sunt, qui tota vita sua eos nec honorarunt, nec timuerunt, nec invocarunt, nec gratias illis egerunt, imo nec de iis cogitarunt! At quam turpe esse: habere in itinere longo et periculoso fidum aliquem ducem qui monstraret iter, defenderet, inserviret, interim vero nunquam illi dicere: *Ave*, aut *vale*, nunquam alloqui, nunquam gratias agere? Qui tam turpis error inde mihi nasci videtur, quod pauci serio sibi persuadeant, se custodes habere angelos; sive quod eorum assistentiam et obsequia non observent, sive quod difficile creditu existiment, tam nobiles creaturas vilioribus hominibus deputari ad cus-